

Z c
7442

AEI) MUNCK

NO: 41





F. K. 62

45

1v, 445

ELOGIVM
AVGVSTI FRIDERICI MVLLERI
PHILOSOPHI LIPSIENSIS

PRAEMITTIT

ET
SENATVM AMPLISSIMVM
SVMME REVERENDVM MINISTERIVM
GYMNASII COLLEGAS CLARISSIMOS
OMNESQVE MVSARVM PATRONOS

AD

SOLENNIA GREGORIANA

VERTENTE ANNO

IN GYMNASIO CELEBRANDA

INVITAT

M. FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS, R.

GORLICII,

LITTERIS FICKELSCHERERIANIS.





✻ ✻ ✻

Luctuosus fuit hic annus reipublicae litterariae, cum ob innumeras, quas adfert bellum, calamitates, tum clades, saepius repetitas, eruditissimorum uirorum, qui, satis functi, sui desiderium reliquerunt. Quis non luget MASCOTIVM, non Lipsiensis modo Academiae, sed uniuersae quoque, qua cultior est, Europae ornamentum? Quis non lacrimis prosequitur WOLLIVM, philologorum, nostra aetate, facile principem, et quantae eruditionis, tantae probitatis, Theologum? Quis non dolenter desiderat GESNERVM, at quantum quamque incomparabilem elegantioris litteraturae uindicem et assertorem? Quis non grauius commouetur obitu RIECHEY, quem recte dixeris Gratiarum delictum omniumque laetitiarum, si quas habet, at habet plurimas, politioris litteraturae ambitus, promum condum? Qui quidem omnes, et alii plures, eruditione, fama, meritorumque amplitudine excellentissimi uiri quamquam mori omnino non debuissent uidentur, immortalitate tamen, si quisquam, dignissimus est AVGVSTVS FRIDERICVS MVLLERVS, qui, mense huius anni Maio, exuuiis corporis, senio continuoque labore fracti, depositis, animum diuinis manibus, unde acceperat, reddidit, meliorem uitam, exsuperatis mortalitatis molibus, auspicatus. Cuius uiri merita et in philosophiam, et in iurisprudentiam, et in omne litterarum genus, cum tanta sint, quanta, cum summa sunt, esse solent, fas piisque esse existimamus, tanti tamque exquisiti philosophi memoriam, quantum in nobis situm est, ab obliuionis iniuria asserere, laudesque eius, litterarum monumentis proditas, ad omnem, si qua futura est, posteritatem commemorare.

Si MVLLERI uitam et merita, si, qua usus est, philosophandi rationem, si scripta eius, pari diligentia iudicioque confecta, si perspicuitatem, modestiam, ceterasque uirtutes, quibus, dum uixit, enituit, mecum contemplor, eadem, quae in IOANNE LOCKIO, philosopho summo, ornamenta in MVLLERO, par iudicium, idem acumen, aequalem prudentiam, fidem, uerique studium deprehendisse mihi uideor, ita, ut, uter pluris aestimandus sit, uix definire ausim. Non Anglis modo, uerum etiam eruditissimo cuique mirifice probantur LOCKII scripta, quorum haec dos est, ut, crebrius licet lecta, nunquam tamen lectoribus, ob admirabilem euidentiam, legendi adferant fatietatem. Laudatur LOCKIANA, in exquirendo uero, ingenii sagacitas, et mira, in aestimandis rerum momentis, iudicii *anglicana*, qua in interiores philosophiae recessus et adyta ita penetrat, ut obscura illustrare, incerta definire, confusa distinguere, difficultatibusque intricata expedire unus omnium maxime et potuerit,

et

et uoluerit. Celebratur praeterea ob incorruptum sobrie sapiendi studium, quod omne eo uolebat referri LOCKIUS, ut, causis odii amorisue procul faceffere iuffis, rationes ueri ab origine primisque stirpibus repeteret expenderetque, ut facile et aequo animo ferret fecus sentientes, ut totam, quam larga impleuerat luce, philofophiam non ad uanam ingenii oftentationem, fed ad uitae prudenter regundae ufum, moresque emendandos conformaret, uirtutemque, quam praecipit philofophia, bonaeque mentis decus confectaretur. Quae omnia, et multo maiora eminentioraque, agnofcimus et admiramur in MVLLERO, qui, fi minus LOCKIO anteferendus, par certe iudicandus eft.

Brittanniam LOCKIUS, Saxoniam MVLLERVS ortu fuo illuftrauit, uterque faeculo fuperiori in lucem editus, ille fecundo et triceffimo, hic quarto et octogefimo anno. Plurimum refert, quo quisque utatur parente, cuius difciplina inffitutisque regatur, et ad humanitatem conformetur.

Is MVLLERO, propitia fortuna, contigerat pater, quo prudentiorem melioremque ne optare fibi quidem poterat. Hic enim, facerdotis munere in Ober-Gräffen, qui uicus quintum lapidem a Lipfia diftat, poft in oppidulo Sehoeneck, apud Varifcos, functus, prout ipfe bonas amabat litteras, ita in eo cupidiffime elaborandum fibi putabat, ut tenerum filioli, ad fuffima quaeuis nati, animum optimarum artium difciplinis imbueret. Sub difciplina tam diligentis, tamque cruditi Patris cum adolefceret, anno aetatis tertio et decimo, in fcholam Grimmenfem miffus eft, ubi, munificentia Regia, in alumnorum coopatus numerum, ea doctrinae, affiduitatis, ingeniique dedit documenta, ut inter aequales exfplenderet. Sexennio ibi, ex lege inffitutoque maiorum, peracto, recteque iactis elegantiorum litterarum fundamentis, ex umbraculis profreffus in lucem, Lipfiam, tertio huius faeculi anno, ad maiorem ingenii cultum capeffendum, commeauit. Hic eam fere, quam LOCKIUS in academia Oxoniensi, difcendi rationem inuit. Ille Medicinam, hic Iuris prudentiam tummo ftudio tractandam fibi delegit, uterque cum alioribus, quas uocant, fcientiis philofophiam coniungendam arbitratus. Dominabantur tum temporis in academia Oxoniensi philofophiae fcholasticae folia, quibus, tantum aberat, ut LOCKII animus, fciendi cupidus, poffet exlaturari, ut etiam a philofophia, tenebris circumfufa, faftidio et fatietate abalienaretur. Tandem, propitio Deo, in Cartefii fcripta, lucis plena, incidit, quibus legendis ab animo, tanquam ab oculis, omnem caliginem difpulfam fenfit.

Quod idem fere accidit MVLLERO in academia Lipfienfi, in qua quamquam, ineunte hoc faeculo, ueritas, in philofophorum fcholis, nondum tam effufa caligine extrinecta erat, quin lucis aliquid interneret, plurima tamen ferrugo, quod negari non potest, ex fcholastico

lasticorum fordibus philosophiae adhaesit, post id demum tempus felicis absterfa. Noctis ergo, quae scholasticorum scriptis offusa erat, pertaesus, cum follicite cupidissimeque lucem circumspiceret MVL-
LERVS, eam demum sibi in RVDIGERI scholis, fere ut LOCKIO in Cartesii scriptis, affulisse, gauisus est. Quare huic tam solerti, tam perspicuo, tamque acuto exquisitique iudicii philosopho continenter affuit, tantoque studio magistrum, quem studiorum ducem delege-
rat, audiuit, ut, siue recte cogitandi artem traderet, siue morum do-
ctrinas explicaret, siue in indagandis naturae uiribus recessibusque occuparetur, nunquam ab eius latere discederet. Ita, gradibus paul-
latim structis, ad eam denique laudem ascendit, ut non modo RV-
DIGERVM, discipulus magistrum, perspicuitate, accuratatione, subtilerque et acutius cogitandi uirtute longe superasse, sed omnibus quoque ceteris philosophis, quin ipsi LOCKIO, palmam dubiam fecisse, fuerit iudicatus. Ad quam gloriam uiam sibi muniuit capes-
senda Magistri dignitate, qua, ab illustri philosophorum Lipsiensium ordine, anno praesentis saeculi septimo, ornatus, id sibi agendum pu-
tauit, ut nomen decusque doctoris philosophi uariis doctrinae exer-
citationibus, publice spectatis, tueretur. Quocirca anno post, quam lauru insignibusque Magistri decoratus erat, conscensa cathedra, eru-
ditis Lipsiensibus sui copiam fecit, defenditque dissertationem per-
eruditam de arte loquendi tanto cum audientium applausu, ut opti-
mus quisque, augurio haud uano ductus, ominaretur, aut MVLLE-
RVM, aut nullum, futurum esse academiae ornamento. Nec fefellerit. Cum enim disputationibus publice habendis, scholisque domi ape-
riundis declarasset, quantum ingenio, quantum doctrina, quantum inprimis exquisita reconditoris philosophiae scientia ualeret, tantus ad ipsum factus est audientium concursus, ut uix cuiusquam alius schola, ante eum, maiori floruerit frequentia. Quod quidem tanto minus mirum cuiquam uideri debet, quanto maior in ipso fuit distin-
ctius cogitandi uis, quanto uberius eloquentiae copia, tanta certe, ut, quaecumque obscuritatis salebris erant impedita, ea, mira facili-
tate, expedit, admirabilique suauitate in audientium animos aures-
que influeret, et, argumentorum delectu ac pondere, unumquem-
que, uel inuitum, cogeret ad assentiendum. Mirantur et laudant hanc MVLLERIANAM diuinam fere, et uix in quoquam alio reperiundam, docendi, delectandi, permouendique uirtutem omnes ii, quibus contigit ab ore eius pependisse. Quam laudem, raro commemorablemque exemplo, seruauit ad summam usque senectutem, cuius molestiis, tantum aberat, ut uel corporis, uel animi uigor, ut fere sit, obsolesceret, ut etiam, quanto altius aetate prouehabatur, tanto in-
structior ad docendum, tantoque ad cogitandum eloquendumque paratior cathedram conscenderet, insolita auditorum applaudentium corona cinctus.

Ita,

Ita, recte sentiendi praefidiis adornatus, longiusque, quam vulgo fit, in philosophiae curriculo progressus, abesse non poterat, quin in iurisprudentia, quam cum philosophia, inde a uitae academicae initio, coniunxerat, progressionem discendi eo perueniret, quo paucis, philosophiae adiumento destitutis, adspirare contingit. Duce et praeceptore TITIO, cuius cineres etiam nunc Lipsia ueneratur, in iurisprudentia discenda colendaque omnia, quae audiuit, animoque tenuit, ad rationem potius legisque naturalis uim et intelligentiam, quam ad eorum, qui opinionibus coniecturisque fluctuant, auctoritatem et Romanas argutias referri uoluit. Ita, animo ad cogitandum composito, multos difficilesque iuris Romani locos, philosophia adiutrice, explicauit, quorum nodos uix alius, sine philosophia, iurisque naturae scientia, expediat. Diuini humanique iuris quamuis esset consultissimus, nunquam tamen ad lites in foro disceptandas adduci potuit, uitam eruditam, philosopho dignam, strepitu turbisque ciuilibus potiore arbitratu, similiter fere, ut LOCKIUS, qui, quamquam salutaris artis erat scientissimus, nullo tamen tempore ad medicinam exercendam se accinxit, sapientis otio tranquillisque studiis oblectatus.

Qua animi modestia cum esset MVLLERVS, uoluntate bene de academia merendi contentus, non anxie honores, uirtuti scientiaeque debitos, expetiit, sed exspectauit, fructum denique continentiae animi uberrimum consecutus. Anno enim huius saeculi quarto et decimo Doctoris I. V. dignitate et ornamentis in academia Erfordiensis cohonestatus, sibi nunc in patientiorem laudis et gloriae campum ingrediendi potestatem concessam uidit. Quare, qua adhuc assiduitate fideque philosophiam litterarum studiosis tradiderat, eadem nunc iuris diuini humanique fontes ipsis aperuit, ut, emereret in MVLLERO maior Philosophus, an lureconsultus, uix posset definiri.

Tanta tanti philosophi iureque consulti merita, in illustri posita monumento, cum in occulto ita manere non possent, quin clarissimum ubique spargerent lumen, et, secundae famae subiecta alis, ad ipsa sanctiora Regis adyta penetrarent; magna ipsi lautioris fortunae dignitatisque accessio facta est. Pensione annuaria, ex munificentia Regali, ad rei familiaris necessitates expediendas adiutus, se acrius ad maiora incitatum sensit. Post dignitas dignitatem honoremque honos excepit. Anno huius saeculi primo et tricesimo, philosophiae, extra ordinem docendae, munia fuerunt ipsi demandata. Anno insequenti, organi Aristotelici Professor constitutus, aditum sibi ad cathedram publicam, duabus orationibus, terse eleganterque scriptis, aperuit, altera de Philosophia cum Iurisprudentia coniungenda, altera de Emigratione religionis causa suscipienda.

Magi-

Magistratum Academicum ter tanta prudentia gessit, quanta a tanti iudicii philosopho et Iureconsulto expectari poterat. Neque minorem fidem praestitit, in Decurionis partibus saepius obeundis, quas ita ornauit, ut illustris Philosophorum ordinis decori commodisque, quoquo modo potuit, prospiciendum putauerit. Quicquid habuit a laboribus, quos officii imponebat ratio, uacui temporis, id omne ad scripta uarii generis conficienda, commentationesque, philosophiae incrementis inferuituras, publice edendas contulit, uel hoc ipso LOCKII imitatus exemplum, qui nunquam Reipublicae procuratore ita se distringi passus est, ut a scriptis utilissimis publicandis auocaretur.

Consenuit, has inter bonae mentis exercitationes, Noster, et, in rerum nobilissimarum contemplatione defixus, iuuentuti, exquisitoris sapientiae studiis deditae, docendo commentandoque mirifice profuit usque ad extremum fere uitae halitum. Placide integrisque sensibus, et mente integra diem obiit ipsis Calend. Mai. praesentis anni, immortalitem, post expletum aetatis annum sextum et septuagesimum, cum dimidio, consecutus.

Luget Academia Lipsiensis ornamentum, sibi creptum, nec sibi temperant a lacrimis tot iuuenes, in scholis MVLLERIANIS ad recte sentiendum honesteque agendum fidelissime conformati, quin ipsa respublica litteraria, quanta quanta est, grauius fert iacturam Philosophi, qui, in explicando maxime perspicuus, in definiendo accuratus, in demonstrando solidus, in sentiendo nullius auctoritati addictus, minimeque arrogans, in confutando modestus, ueri bonique tenacissimus, placabilis, contentionumque fugitans, in ferendis aduersariis facilis et aequus, in praeceptis philosophiae, ad exquisitiorem Iurisprudentiali scientiam acquirendam, ad rei publicae usum amplificandum, ad mores emendandos dirigendis prudentissimus felicissimusque, omnibus amicus, nemini, nisi impiis, grauis merito iudicatur.

Has omnes uirtutes, funere MVLLERIANO elatas, quis est, qui non suspiciat, qui non pia grataque memoria, dum litterae erunt, nobiscum recolendas existimet?

Quae scripsimus, legibus pietatis uenerationisque, qua uiuum MVLLERVM profecuti sumus, satisfactori, eo pertinere uolumus, ut aditum nobis aperiant ad Panegyrim, qua, oratione publica, merita uirtutesque IO. MATTHIAE GESNERI, Polyhistoris, sine exemplo, maximi, commemorabimus.

Rogantur omnes Litterarum Patroni, ut orationem hanc beneuole audiant, et pro patria, satis afflicta, pro SENATV AMPLISSIMO, proque Gymnasii benefactoribus, uota nobiscum Deo pie religioseque persoluant. Gorlicl, clocccLXI,

d. XXVII Dec.



Zc 7442 A

ULB Halle

007 773 862

3



1018

MC





AUGSPURG

BEY

IOHAN

MICH



F. K. 62

1 v, 445

45

ELOGIVM
 AVGVSTI FRIDERICI MVLLERI
 PHILOSOPHI LIPSIENSIS
 PRAEMITTIT

ET
 SENATVM AMPLISSIMVM

RENDVM MINISTERIVM
 COLLEGAS CLARISSIMOS
 VE MVSARVM PATRONOS

AD

IA GREGORIANA

ERTENTE ANNO
 NASIO CELEBRANDA

INVITAT

CHRISTIANVS BAVMEISTERVS, R.

GORLICII,

S FICKELSCHERERIANIS.

